



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Missa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

rit sponsalia cum aliqua, & postea matrimonium cum altera, parochus non deberet adesse celebrationi secundi matrimonii, nisi prius declaratur per Episcopum, prima sponsalia esse dissoluta, Navar. *confi. 8. de sponsal.*

Vigesimoprimum, si matrimonium contrahatur coram parochio, & testibus, non adhibitis aliis solennitatibus, nempe tribus denuntiationibus & licentia Episcopi, tenet matrimonium, sed tam parochus ipse, quam testes possunt castigari. Navar. *confi. 3. de secund. nupt.*

M A R I T U S.

PRimum, Maritus, qui ante matrimonium promiserat facere renunciare uxorem, non tenetur, posteaquam eam duxerit in domum suam, Boet. *decisio. 3. nu. 16. secus si hoc juraverat adimplere, quia obstat exceptio iuramenti, capitulo 3. de pact. & capitulo secundo, de iure iuran. & Dyn. in cap. non est obligatorium de reg. iur. libro 6. Quid si pactum fuerit iuramento vallatum, vel quid si filia iurasset patri de non petendo hereditatem, sed esse contentam dote, an teneatur servare dictum pactum, & quid de heredibus ipsius filiae iurantis, an teneatur stare dicto pacto, & iuramento, ex vi pacti, an ex vi iuramenti. Vide text. Glosam & Gemin. in cap. quamvis. de pact. lib. 6.*

Secundò, si nullam habuerit dotem maritus, an, & quando teneatur alere uxorem durante litigio, vel extra domum, si inde aufugerit causa sævitiæ viri: & aliqua quamplurima de hac ma-

teria, vide Guid. Pap. q. 439. & Innoc. *de c. per vestras. de donat. inter vir. & ux. & ubi etiam tenet, quod nulla habita dote, maritus teneatur alere uxorem, Bal. in Marg. Innoc. in ver. maritus, q. 1. Navar. in confi. 50. nu. 3. videtur dicere, quod maritus cui fuit promissa dos, & non soluta, non tenetur ducere uxorem, donec ei illa solvatur, imò & acceptatam potest expellere, per c. per vestras, de donat. inter vir. & uxor. & ibi Panor. nu. 4.*

Tertiò, an & quando uxor teneatur sequi virum, vide Sylvest. in ver. uxor. & quando possit eam verberare, vide ibidem, & Navar. capitulo decimoquarto. nu. decimonono, notab. 2. & 3. quando maritus præsumatur mortuus, uxore volente transire ad secunda vota, vide c. in presentia. & ibi. Scribentes, de sponsal. c. cum per bellicam. 34. quæst. 1. Tabien. in ver. impedimentum, 10. Navar. c. 22. n. 55. Iser. in u. sib. feud. in capitulo quo tempore miles numer. 6.

M E T R O P O L I T A N A E C C L E S I A.

Ecclesia Metropolitana non dicitur Cathedralis, vel Matrix, respectu totius provinciæ, sed solum respectu suæ diocesis, cuius respectu singulæ dicuntur Cathedrales, Abb. in Clem. 1. n. 8. de sent. excom.

M I S S A.

S U M M A R I U M.

1 Ubi, quando, & de quo Sancto debeat celebrari.

2 Quo

- 2 *Qua vitanda in Missa.*
- 3 *Missarum numerus quomodo sit restringendus.*
- 4 *Una missa pro multis an sufficiat, ac si pro singulis & qua pitantia, & elemosyna sit pro cataxanda, vel recipienda.*
- 5 *Qua poena celebrantis extra loca determinata à sacris Canonibus & sac. Conc. Trid. & de aliis def. libus.*
- 6 *Ubi sit audienda Missa.*
- 7 *An plures liceat celebrari eadem die.*
- 8 *Qua poena celebrantis non ieiun.*
- 9 *An possit celebrari quotidie, vel ad id reneatur, vel obligetur.*

AD primum. Prima conclusio: Missa non potest celebrari nisi in Ecclesia consecrata ab Episcopo; *capitulum 1. & sent. de consecrat. distinct. 2.* vel in Ecclesia ædificata de consensu Episcopi, licet non consecrata, *cap. nemo, ibidem*, qui consensus sufficit quod sit tacitus, & non expressus, *Selva tract. de benefi. parte, quasi. 6. numero ultim.* modò ad sit altare portatile, nec alibi, etiam cum eodem altari portatili, sine licentia summi Pontif. Anchar. *in capitulo quoniam, numero 2. de privileg. lib. 6.* ubi dicit hanc non posse dare Episcopum, Concil. Trident. *sess. 22. capite quanta cura*, Navar. *capit. 2. numero 82.* Gom. *tract. de brevi*, ubi dicit Sum. Pontif. hoc non facile concedere nisi magnis personis, & qui celebrat in loco interdicto, ultra irregularitatem, quam incurrit, *cap. is qui, §. is vero, de sent. excommunic. libro 6.* Navar. *loc. cit. numer. 33. capitulo ult. de excess. prelat. & gloss. in cap. postulasti, in §. quævisistis, in ver. celebrare, potest etiam pri-*

vari beneficiis, *d. §. is vero.* Secunda conclusio: in Ecclesia sive Capella diruta, antiqua, etiam discooperta sub dio, modò sit clausa, & cum altari portatili, & non adsit periculum aliquod, eò vel maxime, quando illuc accederet aliqua processio, vel festo suo die magnus populorum concursus, Navar. *loc. citato.* Tertia conclusio, Debet celebrari in illo altari, ubi celebrari petitur, alias non satisfacit intentioni petentis, Navar. *loc. citato, numero 134.* & hodie Canon. *capitulo 5. numero 3.* & Tabien. *in ver. Missa numero 53.* Quarta conclusio, licet de iure antiquo Episcopus potuerit dare licentiam celebrandi extra Ecclesiam cum suis requisitis, per *capitulum, concedimus, de consecrat. dist. prima, & d. capitulo quoniam, & ibi Anchar. & Navar. loc. citato*, hodie tamen secus per Conc. Trid. *loc. citato*, nisi sit Oratorium, ad divinum cultum tantum dedicatum, ab ipsis Ordinariis designandum, & visitandum. Quinta conclusio; potest Episcopus, & debet dare licentiam alicui dominæ Marchionissæ, vel cuicumque nobili, ut possit facere Missam celebrare in Oratorio propter ætatis, & valetudinis incommoda, vel in aula sui Palatii, in loco honesto, & opportuno, ad usum sacre Missæ extruendo, quod occlusum & obseptum sit ut decet, ita sac. Congreg. *declar. 130. & alia quæ est 88.* stante aliquâ necessitate, modò sit in Oratorio, aut Altari, tantum ad divinum cultum dedicato, & *alia quæ est 92.* dicit, quod dicta licentia, tam in Oratorio, quam in Ecclesia, & de novo ædificata debet dari cum clausula, sine præiudicio Ecclesiæ parochia-

R r

parochia-

parochialis; & præjudicium intelligitur circa Sacramentorum administrationem, & alia, quæ ad jus parochiale attinent, in aliis verò non: ita fac. *Congreg. declar. 98.* & ista conclusio, siue licentia non expirat morte concedentis. *Navar. in capitulo placuit, numero 164. de pœnit. distinct. 6. Rota in antiquis, Decis. 180. de rescript. c. 182. vel 87. eodem, & fac. Congreg. declarat. 169. in meis censuit, quòd licentia celebrandi Missam in Oratorio alicujus laici, non debet revocari sine causa. Sexta conclusio, qui est obligatus dicere Missam in aliquo certo loco, non satisfacit alibi eas celebrando, *Navar. de hor. Canon. capitulo 5. numero 12.* & an anima habeat majorem valorem Missæ, si celebretur, ubi sepultum est corpus ejus, quàm alibi, vide *Innocen. in cap. fraternitatem, de sepult.* ubi videtur dicere quòd sic, & ibi *Abb. numer. 4.* & ita audivi sensisse *Gregor. XIII. sum. Pontif. Nav. cons. 8. nu. 10. de testam.**

Ad secundum. Prima conclusio, excepta nocte Nativitatis Domini, qua unica tantum Missa potest dici de media nocte, in *cap. nocte sancta, de consecrat. distinctione prima*, reliquæ verò in aurora, usque ad meridiem. *Joan. Andr. in capitulo primo, de celebrat. Miss. Sot. 4. Sentent. distinctione 13. questione 2. articulo. 2. in fine, Navar. capitulo 25. numero 35.* & circa horam, vidi nonnullos decipi, & à nullo Doctore sigillatim poni: ideo dicam particulariter, quòd in mense Januarii, Februarii, Novembris & Decembris, usque ad decimam noctem, in mense Martii, & Octobris us-

que ad 17. in mense Maii, Junii, & Julii, usque ad 16. horam, secundum calculationem Meridiam Italiæ, confectam per Fratrem Cornelium Genuensem Ordinis Servorum anno 1590. licet ista hora antè, vel post possit ad quantumlibet alterari, *Navar. loc. cit.* & hoc ratione necessitatis communicandi infirmum morti proximum; *D. Anton. 3. parte. titulo 13. capitulo 6. §. 4.* sic etiam in adventu Episcopi, *gloss. in capitulo si. de privileg. lib. 6. in fine*, imò si Missa potest celebrari hora nona, & hora nona tempore hyemis est ferè circa horam decimam sextam, fit, quòd his horis potest celebrari, & hoc more Romano, siue Italico, secus verò, more Hispanico, & Gallico, ubi computatur horologium à media nocte ad meridiem. Vide *Nav. cap. 3. de hor. Canon. & facultatem celebrandi Missas, vespertino tempore, revocavit Pius V. Bull. sua 4. qua incipit, Sanctissimus.* Secunda conclusio; debet celebrari eodem die, quo petitur, alioquin suffragium protelaretur in detrimentum animarum, juxta ea, quæ dicit *Selya loc. cit. 1. part. quest. 5. num. 93.* Ang. in *ver. exequutor. §. 2. 4.* Sylvest. in *ver. testamentum. il. 2. Arm. in ver. exequutor. §. 6. Sot. 45. d. 45. quest. 2. art. 3.* ubi habetur de magno executoris peccato, legata pia exequi retardantis. Tertia conclusio, si contigerit anniversarium die Dominico, vel alia celebri solennitate, non debet mutari in sequentem diem, ut fit in festo omnium Sanctorum, sed fiat die præcedenti, ut citius occurratur pœnis defunctorum, quas in purgatorio sustinent, *Selya loc. cit.*

Ad

Ad tertium. Prima conclusio. Missa regulariter semper debet convenire cum officio, patet *doctr. vulgatis*, & in *Rubr. Missalis nova impressionis, seu reformationis*, Ang. in *ver. Missa*, n. 33. Secunda conclusio: Debet celebrari de illo sancto, de quo petitur celebranda, ut de defunctis, & de vivis petitur; Viguerius in *instr. Theolog. de Sacram. Euchar. c. 16. §. 3. ver. 18. littera A. in fine*, Tabien. *loco cit.* & Angel. *numero 34*. Tertia conclusio, Si fundatur aliqua Capella, ut in ea quotidie celebretur Missa de Domina nostra, an hoc onus possit admitti? affirmative responderetur per *c. significatum, de prob. & ibi. Abb. numer. 4.* sed non teneretur Capellanus ibi quotidie celebrare, Armil. in *ver. Missa, numer. 97. Navar. c. 25. num. 13. Selva loc. cit. q. 6. num. 13.* bene verum est, quod deberet Episcopus mutare hoc onus ut celebretur secundum ordinem Rubricæ Missalis: dedecet enim die Nativitatis Domini, vel die Palmarum, vel die resurrectionis celebrare de Domina nostra, *c. quidam. & c. cum creatura, de celebra. Miss. & ibid. Abb. ubi supra, num. tertio, & in cap. consulum, num. 1. de celebra. Miss. Roman. consilio 339.* Armil. *ubi supra, num. 32.* & sic habes in Sum. quia Missa debet celebrari eodem loco, tempore, & Sancto, prout petitur, aliàs non satisfieret intentioni petentis, excepta sexta feria Majoris hebdomadæ, & in Sabbato Sancto, *d. cons. d. 1.*

Ad Secundum principale. Sit prima conclusio, non potest hodie celebrari certus Missarum numerus, nec cum certo candelarum, vel Evangeliorum nu-

mero, Concil. Trident. *loc. cit. §. quorundam*, nec cum magna orationum multitudinæ, ultra septem. *Sor. 4. Sent. dist. 13. q. 2. ar. 4. col. 8.* nec pro vindicta, *Can. distum, 1. q. 1. Abb. in d. c. quidam, de celebra. Miss.* hinc fit, non posse celebrari Missas, quæ vulgò de gratia dicuntur, cum sint superstitiosè inventæ, nec conveniant universali ritui Ecclesiæ: non enim videtur satis convenire, ut extra suos dies celebretur Missa Resurrectionis, Nativitatis, seu Passionis Domini, hinc etiam fit, Missas 31. & 41. non prohiberi, nec septimum, & tertium pro defunctis, quia reperiuntur fundatæ auctoritatibus sacrae Scripturæ, non oriuntur ex superstitioso cultu, *Genes. 23.* Abraham fecit equias Saræ uxori suæ multis diebus, *Genes. cap. 50.* Filii Israël septuaginta diebus planxerunt mortem Jacob, & similiter fecit Ægyptus, & *Deuter. cap. 3.* Hebræi planxerunt mortem Moysis triginta dies, *capit. quia alii, 13. quest. 2.* Ambros. pro Theodosio in *epist. consolatoria ad Faustinum*, Tertullian. *libro de Corona militis*, Chrylost. *hom. 41.* August. *lib. de cura pro mort.* vide Francisc. *Sonnium, tract. de doct. Christ. in expositione Symboli Apostolorum*, & sic patet quod nec Missæ quæ vulgò dicuntur divi Gregor. prohibentur, & hujus sententiæ fuit Magister meus in publica lectione. Bene verum est, quod non deberent dici tot pro illis Sanctis, & tot pro alijs, sed juxta feriem rubricarum, vide Covar. in *c. ultim. numero primo, de testam. cap. quia alii, 13. quest. 2. Eccles. cap. 52.* Secunda conclusio. Lumina non possunt esse ex sævo, vel oleo, quia esset contra ritum

universalem Ecclesiam, gloss. in cap. si, de celebrat. Miss. & est ad figuram ignis, qui ardebat in altari Dei optimi max. Levit. cap. 6. Asten. lib. 4. tit. 14. art. 1. quest. 4. idem celebrare sine igne, Panorm. in c. sanè, §. in c. literas, numero 1. de celebrat. Miss. Tertia conclusio: locorum Ordinarii non debent admittere aliquem ad celebrandum in sua Diocesi, qui est vagus, vel ignotus, Conc. Trident. loc. cit. §. neminem c. tuâ de cler. peregr. licet possit dispensare, ut celebret, si alias sibi constet, illum fuisse ritè ordinatum, §. si eod. tit. Sylvest. 4. p. questione septima, numero 17. vers. 96. Quarta conclusio: pro Missis novis nihil detur, nec permitatur quæri importunas atque illiberales elemosynas quæ potius exactiones, quàm postulationes dici possunt, c. ad Apostolicam, de simon. Conc. Trident. loc. cit. §. atque ut multa.

Ad Tertium principale: sanctissimè (more suo) sac. Concil. Trid. sess. 25. cap. 4. de reform. statuit taliter, & sit prima conclusio: Si missarum celebrandarum numerus, ex variis relictis defunctorum, sit tam magnus, ut pro illis singulis diebus à testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, vel elemosyna huiusmodi pro illis celebrandis sit adeò tenuis, ut non facile inveniatur, qui velit huic se muneri subicere Episcopi in diocelana Synodo, & Abbates, & Generales ordinum, in suis Capitulis generalibus, pro sua conscientia, re diligenter perspecta, statuunt, quicquid ad Dei honorem, & Ecclesiarum utilitatem magis viderint expedire, ita ut semper commemoratio fiat illorum, qui legata ad pios usus re-

liquerunt; quibus verbis datur facultas Episcopis, ut vel augeant elemosynas, vel Missarum numerum diminuant, quod etiam habetur in Concil. Provinc. Neap. c. 24. de celebrat. Miss. Secunda conclusio. Ad quam taxam possunt reduci Missæ, tam diebus ferialibus, quàm festivis, non potest dari certa regula, bene verum est, quod in Conc. Provinc. Surrentino, ubi præsidebat Archiepiscopus satis doctus, & pius cum tribus Suffraganeis, & multis Abbatibus, cui & ipse interfuit, fuit conclusum, ut pro Missa diei festi solverentur duodecim Ducati aurei, & diei ferialis sex singulis annis, vide Sor. 4. senten. distinct. 1. questio. 2. articulo 1. & Flor. Theol. eod. lib. tract. de valore Missæ, articulo 2. conclus. 2. isti dicunt, quod pro unaquaque Missa potest taxari valor unius argentei; si ve Carleni, si ve Julii, si ve Reali, Sor. libro 5. quest. 3. articulo 1. Tertia conclusio: quando in Ecclesia esset magnus Missarum numerus, & presbyteri, seu sacerdotes illius non sufficerent pro illis celebrandis, sunt aliunde adjuutores vocandi, Sor. loco citato, colum. 2. Navar. cap. 25. numer. 134. notab. 22. Quarta conclusio: Si Missarum numerus est continuus, vel onus perpetuum, & non potest huic oneri particulariter satisfieri, ob carentiam Sacerdotum, tunc praticari potest doctrina sac. Concilii ut supr. si vetò veniet indies hæc Missarum multitudo, tunc aliunde vocandi sunt auxiliatores: sed si non adest copia celebrantium, quia est oppidum, vel terra, in qua sunt pauci Sacerdotes, sac. Congreg. declar. 4. ita censuit, Episcopus ob multitudinem populi

puli potest compellere rectorem ad sibi adjungendum alios Sacerdotes pro Missis, atque aliis divinis Officiis celebrandis cum moderamine multitudinis Missarum. Si verò esset impossibile adjungendi alios Sacerdotes, tunc recurrendum est ad remedium, cuius meminit Illustrissimus Carolus Boromæus Archiepiscopus Mediolanensis in actibus ejusdem Ecclesiæ, ubi instituit ut in qualibet Sacristia constituantur una cassa, si ve arca cum duabus clavibus, & ibi reponantur elemosynæ, quæ veniunt in dies, & omnes celebrantes faciant collectas in Missis pro illis, quorum intuitu dantur, & qualibet secunda feria officium defunctorum, & Missa cantata pro eisdem generaliter celebretur, & quod singulis mensibus arca illa aperiat, & elemosynæ inter servientes dividantur, & sic etiam constituit Reverendissimus Archiepiscopus Surrentinus in suo Archiepiscopatu, & hoc comprobatur auctoritate & rationibus Doctorum, qui asserunt, quod id quod non potest fieri per Missarum celebrationem, saltem fiat per orationes, & divina officia, Tabien. loco citato, Angel. & Arnil. & alii citati. Quinta conclusio, an quis possit Missas, quas tenetur celebrare, per alium facere illas celebrari, vel possit aliquid sibi retinere pro vestimentis, quæ accommodat celebrantibus, vide Navar. cap. 35. nume. 91. notab. 24. Sot. lib. 9. de just. & jure. loco citat. Viquer. loco cit. de sacram. Euchar. cap. 16. §. 8. littera A, in fin. D. Anton. 2. p. tit. 2. c. 4. §. 5. & non satis tutus manet in conscientia ille, qui tenetur aliquid per se facere, si facit id

per alium, per ea quæ dicit Navar. cap. 17. num. 44. D. Ant. loc. cit. Abb. conf. 99. n. 3. in 2. vol. & regula, qui per alium, & c. est fictio juris, nam Episcopus residens per Vicarium, in sua Diocesi non dicitur verè residere. Ex his patet sexta conclusio, quod Missa debet celebrari eodem die, eodem loco, & de quo petitur, & per eandem personam, nisi excuset probabilis consuetudo, vel impedimentum, & hac diminuendi Missarum numerum facultate Prælati debent parcere, & cum moderamine, de quo Navar. conf. 9. nume. 10. de celebr. Miss. & nos hic tetigimus, ut videlicet per alia opera bona suppleatur ante Missam, in Missa, & post Missam.

Ad Quartum, relictis disputationibus sit prima conclusio: Missa celebrata pro multis, non prodest singulis, ac si pro singulis celebrata fuisset, ista est communis apud Doctores cit. Nav. cap. 25. num. 9. nota. 25. Scotus quodlib. & Abb. in d. ca. fraternitatem, num. 4. Roman. consi. 339. gl. in cap. tempus in verb. baptizantis, 13. q. 2. & ibi Archid. Scotus Quodl. 2. ar. 14. Secunda conclusio, non potest Sacerdos accipere, nisi unam elemosynam, si ve pitantiam, pro celebranda una Missa, licet sit exigua elemosyna, seu pitantia: dat rationem, quia paupertas non excusat, & clericus pauper potest facere aliquod aliud artificium, ca. clericus victum, 91. d. & ista prima opinio est, Nav. loc. cit. & Diaz. Pract. crim. Cano. ca. 50. Secunda opinio est Sot. 4. Sent. d. 13. q. 2. ar. 1. & li. 9. de just. & jure, loc. cit. & Flor. Theol. in 4. sent. tract. de valore Missæ, ar. 2. con. 2. dicunt quod

posset accipere duas pirantias, sive elemosynas quando essent insufficientes, ut quia unus dat dimidiam partem unius argentei, sive Carleni, & alter dat aliam dimidiam.

Tertia opinio est Melchioris Cani, *li. 12. ca. 14. f. 285.* ubi dicit, quod omnis opinio in hoc necesse est consentiat, sacerdotem, sive pro paucis, sive pro multis celebraret, cibum vitæ necessarium expetere suo jure posse, ego censerem cum r. opinione, cujus etiam fuit Magister meus, quamvis non omitterem duas alias opiniones, & maximè, quando Sacerdos protestaretur, dicens elemosynam illam non sufficere, & quòd orabat Deum pro illa persona, quæ dat elemosynam, & sic hodie videmus communiter dari Carlenum unum pro qualibet Missa, & hoc primò intelligi debet de sacerdote, qui non haberet aliunde victum: nam si haberet beneficium sufficiens, non excusaretur, propter hoc in Monasteriis pinguibus tertio servanda est locorū consuetudo approbata.

Tertia conclusio: Taxanda elemosyna pro Missis celebrandis, patet ex dictis *superius, §. 3. concl. 2.* & *fac. Congreg. declar. 235.* censuit in hæc verba: *pro mercede Capellani sufficiunt 50. aurei,* & *Nav. consi. 8. de celeb. Miss.* dicit non satisfacere pluribus celebrando unam Missam, etiam de licentia superioris, etiamsi pro una Missa, & pro alio collecta diceretur, nisi elemosynæ essent adeò tenues, &c.

Ad Quintum, si extra locum sacrum, si non jejunii si in die sæpius, si sine aqua, igne, vel in pane fermentato, vel in ca-

lice ligneo, vitreo, lapideo, vel stanneo, contra alicujus diæcesis ordinationes, si in altari non consecrato, vel fracto, sine vestibus factis, si cum aliqua superstitione, si evomuerit ob ebrietatem, si ob negligentiam sanguis, vel corpus Christi in terram ceciderit, si aliqua sortilegia in ipsa commiscuerit, & alia. *Diaz. in pract. crim. Canon. à cap. 29. usque ad 39. Nav. ca. 25. nu. 81. nota. 16. & infra, Paul. Grill. 2. ca. 11. 14. & 15.*

Ad Sextum. Prima conclusio, quisque tenetur audire missam diebus festis Dominicis, & majoribus festis in parochia sua, *Concil. Trident. sess. 22. capitul. quanta cura, §. moveant, Navar. capit. 21. num. 5. & 6.* Secunda declar. *fac. Congreg. 6.* dicit non posse Episcopum cogere populum multis pœnis, etiam causa notabilis negligentia, aut contumacia ire ad audiendam missam in parochiam suam, & idem *decla. 112.* ubi asserit, esse admonendos, & non cogendos populos, ut frequent parochias suas circa audiendam Missam.

Ad Septimum, vide *Navar. cap. 25. num. 87. notab. 20.* & alios Doctor. qui asserunt posse Sacerdotem pluries eadè die celebrare, cum adsit causa, & cū suis requisitis; tamè hoc erat de jure antiquo, quando erat penuria Sacerdotum, sed hodie non liceret plus quam semel celebrare, *Soto 4. Sent. distinct. 13. qu. 2. art. 2. col. 5.* & ita censuit Magister meus in publica lectura, & qui secus faceret; posset puniri, *Diaz loc. cit. c. 30.* & audivi quendam ob hoc condemnatum fuisse ad remigandum, & *Nav. in consi. 3. de celeb. Miss.* dicit licere, ubi est magna Sacerdotum penuria. Ad

Ad octavum, Diaz. *loc. cit. cap. 29.* dicit esse arbitrariam pœnam, attentâ personæ & excessus qualitate, tamen Boer. *decif. 4. nu. 2.* dicit esse pœnam depositionis, per *cap. si constituerit, de accusat.*

Ad Nonum responderetur negativè, Boer. *in tractat. de auctor. magni Conf. p. Franc. nu. 53.* Nec obstat *cap. significatum, de prebend.* quia ibi loquitur de eadem Missa celebranda quotidie, & non de persona celebrante singulis diebus, per *ca. quotidi. de consecr. bene verum est, quod semel in hebdomada potest quiescere, juxta communem consuetudinem, & per ea, quæ superius diximus. §. 1. ver. ad tertium. conf. 3. Nav. conf. 6. de preb. §. conf. 9. nu. 8. de celebr. Miss.*

MIRACULUM.

SUMMARIUM.

- 1 *Quid sit miraculum.*
- 2 *Quæ requirantur ad verum miraculum*
- 3 *Quando debeat, vel possit publicari.*
- 4 *Quare fiant miracula.*
- 5 *Quid de prædicantibus falsa miracula.*
- 6 *Quomodo probentur.*
- 7 *Quando differant inter prodigium, & virtutem.*
- 8 *Quomodo differant inter gratias.*

Ad Primum, vide D. Tho. *1. qu. 105. art. 7.* & *Lexicon Theologicum in ver. miraculum, & Panor. inc. cum Martha, nu. 7. de celebrat. Missar.*

Ad Secundum, requiritur primum ut si aliquod arduum, & difficile, ut laturatio quinque mille hominum, cum

quinque panibus, & duobus piscibus. *Ioan. cap. 6.* ubi ait, *Vnde ememus panes ut manducent hi?* & *Marci 8. Quis potest hos saturare in solitudine?* ubi arduum, & difficile demonstratur. Secundum, ut insolitum, ut sistere Solem, & Lunam, *Iosue 10. & 4. Reg. cap. 20. & Isa. capit. 38.* ubi est magna difficultas, an constiterint omnes cæli, vide pro hac materia *Sor. 4. sen. d. 48. qu. 2. art. 2.* Tertium, ut præter consuetudinem, ordinem, & vires naturæ, *Ioan. capit. 9.* de cæco nato, ubi facit lutum, quod non solum non est illuminativum, sed obcæcativum. Quartum, ut raro; D. Aug. *tra. 24. in Ioan.* ubi ait, *quotidiana viluerunt; gl. inc. legitimus, in ver. paucitate, 93. d.* Quintum, ut fiat ad bonum finem, D. Aug. *lib. de util. 1. creden. ad Honoratum cap. 16.* D. Tho. *loc. cit. art. 7. ad secundum, & 2. 2. ar. 1. & 2.* vide *Addit. Ant. Franc. in Pan. in d. ca. cum Martha, nu. 7. lit. B.* patet in *languedo loa. cap. 5.* Vade, & amplius noli peccare, & de paralytico sive hydroptico, *Luc. ca. 13.* Remittuntur tibi peccata tuâ. Sextum, quod fiat statim, illic, protinus, repente: nam si fieret successivè, non diceretur miraculum. D. Th. *loc. cit. art. 8.* Beda, & Hier. *super Luc. c. 4.* de focu Simon. imperavit febri, & statim, & ita de Lazaro statim. ita de filio viduæ statim, & alia quam plurima. Nec obstat illud *Mar. ca. 8.* de cæco illuminato paulatim, & successivè, quia etiam parvula temporis mora fuit sanatus.

Ad Tertium, non potest miraculum publicari, teneri, haberi, seu venerari, sine auctoritate & approbatione Romanæ Ecclesiæ, capit. 1. de reliq. & vene-